



IO. BATUS. PORTAE. NEAP.  
DE HVMANA PHYSIOGNOMIA LIB. VI.  
IN QVIBVS DOCETVR QVOM ANIMI PROPENT  
NATVRA LIBVS REMEDIIS COMPESCI PO  
SSINT

Gerónimo de Nouo sculo. f.

NEAPOLI, Apud Tarquinium Longum. MDCII.

Sumptibus Pauli Venturini, Bibliopole Parthenopoli,



id quod à Galeno iisdem verbis est transcriptum. In Physiognomicis verò ait: Videbit autem utiq; quis & canum optimos moderatas aures habere. Polemon & Adamantius: Quadrangulares aures non excedentes magnitudinem, virilem hominem & bonum manifestant. Adamantius virilem, & egregijs sensibus præditum dicit. Conciliator eadem. Sed satis inepte transfert. Locus optimas aures ita describit. Semicircularis conuexa linea in medio aliquantum ex parte conuexa, velius centrum, magnitudine mediocres, capiti decenter adhærentes, & mediocriter pilosæ; sic. n. feminalem virtutem, quæ eas efformauit, fuisse pollentem, & optimam iudicatur, vt Albertus ex eo refert. Mediocres aures Augustum habuisse refert Suetonius: vnde præclaris moribus ornatus, & animi dotibus præpollens à scriptoribus designatur.

## DE NASO: Cap. VII.

**N**ASVS in facie sensibilis est, hæc siquidem pars hominem præ cæteris, formosum, deformemq; reddit. Estq; in eo varietas maxima, vt nõ sit alia facierum distinctio, quàm per nasum. Aristoteles Animalium libro hæc habet de naso: Pars faciei nasus: cartilagineã partem, quæ nares discriminat, interseptum vocamus, vtrumq; meatum inane. Eius initium est à glabra, interstitium inter supercilia constitutum. Pars ima est, vbi nasus delatior in aures se fundit. Adnotandum præterea quandam esse proportionem faciei partium ad totius corporis partes, & sibi inuicem correspondere, aut mensura, aut quantitate, aut signis.

Habes hic lector Rhinocerotis ad viuum effigiatum nasum magnum, à cuius medio cornu procedit, & Politiani vera effigies.



XXI

S

Valde



*Valde magnus nasus.*

Valdè magnus nasus, virum nimis acriter aliena iudicantem notat, cui non nisi sua placent, aliena displicent, irridetq; omnia. Plinius: Et altior homini tantum, quem noui mores subdola irri-  
fioni dicauere nasus. Naribus, inquit Quintilianus, derisus, contemptus, & fastidium significari  
solet: vnde & qui alios irrident, nasutos vocant, & prouerbio abijt, nasus pro iudicio. Natum ma-  
ximum Rhinoceros habet, cornu repando insignem, quare ab eo potius, quam ullo alio animali ad  
prouerbialem hunc sensum assumptus est: est enim animal ingenio callidum, alacre, & agile. Mart.

*Et pueri nasum Rhinocerotis habent.*

Eiusdem extat lapidum epigramma de nasuto irrisore:

*Nasutus sis vsque licet, sis denique nasus*

*Quantum noluerit ferre rogatus Atlas:*

*Et possis ipsum tu deridere Latinum:*

*Non potes in nugas dicere plura meas.*

Perfius ad id:

*„ vide ais, & nimis vncis*

*Naribus indulges,*

Horatius,

*„ naso suspendis adunco.*

Angelus Politianus enormi fuit naso, ob id ingenio aculeato, timidoq; , aliena irridendo, laudã-  
do sua, nec à quopiam iudicari poterat aliorum famæ derogando.

*Magnus nasus.*

Nasus prægrandis probi viri iudicium affert; Prægrandis nasus melior; Adamantius. Magnus  
nasus semper minori melior; ex his Albertus.

*Valdè parus nasus.*

Qui naso valdè paruo fuerit præditus, mutabilis consilij vir arguitur; Polemon, sed Adamantius  
minari rapacitatem, & consilij inconstantiam ait. Interpres Polemonis non satis rectè vertit, nam  
accusatorem, & delatorem interpretatur, in quo tot errores, quot verba reperies. Albertus. Mi-  
nor nasus seruilibus ingenijs, furibus, & tergiuersantibus assignatur. Ego ad mulieres referrem.

*Rectus nasus.*

Rectus nasus lingue significat intemperantiã; Polemon & Adamantius. Sed in fine libri, Pole-  
mon, & si mendosus sit codex, ait: Qui recto sunt naso præditi, blaſtiones, & referuntur ad mulie-  
res. Albertus non satis sibi constat, vtriusq; signa, & proprietates confundens. ait enim: Nasus cir-  
ca frontem depressus, stultitiam & animi imbecillitatem, & femineam leuitatem designat: si alte  
à fronte, recta ad imum nasi protendatur, vt linea recta descendens à fronte nasi conum pertingat  
in extrema cartilagine: loquacitatem notat.

*Obliquus nasus.*

Intortus nasus magna ex parte mentis & animorum obliquitatem portendit. Polemon & Adam;

*Ad faciem nasus discretus.*

Nasus ad faciem benè articulatus, vel discretus, probum, fortem, ac prudẽtia virum præditum  
indicat. Polemon & Adamantius. Sed Polemon ad frontem, Adamantius ad faciem habet. Alber-  
tus malè vertit. Narium pars iuxta frontem, si à fronte deposita, sit hoc est seiuncta, bona compo-  
sitione, nec alta, nec humili, sed æquali linea descendat, constantium, & prudentiam demonstrat.

*Ad faciem nasus male discretus.*

Contraria verò huius formæ effeminate, rudiorẽque significat: Polemon & Adamantius à  
contrario signo contrarium dijudicant.

*Longus nasus ad os protensus.*

Qui habent nasum longum, protentum ad os, est probus, & audax, vt Aristoteles ad Alexandrũ  
scribens ait. Narrat Suetonius C. Augustum nasum habuisse à summo eminentiorem, ab imo dedu-  
ctiorem; idest depressum, quem prudentem virum, & optimum Imperatorem fuisse constat: nec  
alius intelligi potest, nisi quem modo descripsimus. Cublaienus Scytharum Imperator longo, re-  
ctoq; ad frontem naso erat, ac ore augusto: ad arma præstantissimus, primus pontificiæ maiesta-  
tis cultor, liberalis, & probus fuit.

*Nasus*